Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26202
Copyright: Admont, Benediktinerstift



et qui uiuit dabit ad cor suum. Utilius est ad exequias fu
neris quam ad domum ire conuiuii. quia ibi conditionis nostre
et fragilitatis humane ex presenti cadauere commonemur.
in conuiuii autem leticia etiam siquid timoris habere uidemur
amittimus. Nouissimum uersum apertius interpretatus est syma
chus dicens. Et qui uiuit respiciet ad mentem ex quibus ap
probatur. in eo quod superius cibum et potum uisus est approbare. non
enim uoluptatem rebus preferre cunctis ut plerique male estimant.
sed ad comparationem auaricie et nimie parcitatis licet breue
sit plus esse si ad momentum quis suis opibus perfruatur. Nunquam
enim tristiciam luctus festiuitati conuiuii pretulisset. et si bibere
et uesci alicuius putasset esse momenti. Melius est ira quam
risus. quia in merore uultus emendabitur cor. Risus dissol
uit uidentem. ira corripit et emendat. Irascamur et nobis
ipsis siquando peccamus. irascamur et aliis. Et tristiciam
quippe uultus melior fiet animus ut interpretatus est
symachus. et idcirco ue nunc ridentibus quomodo ipsi lugebunt
Cor sapientium in domo luctus. et cor insipientis in domo
letitie. Beati inquit saluator lugentes. quomodo ipsi conso
labuntur. Lugebat et samuel regem saul omnibus diebus
uite sue. et paulus super eos qui post peccata uaria nolue
rant agere penitentiam lugere se dicit. Cor igitur sapien
tis uadat ad domum talis uiri qui se corripiat delinquen
tem et adducat ad lacrimas qui prouocet propria flere peccata.
et non eat ad domum letitie ubi doctor adulatur et deci
pit. ubi non conuersionem audientium sed plausus querit et
laudem. Talis preceptor plangitur diues in sermone diues
in uerbis. quia saturatus est propterea recipit consolatio
nem suam. deniquam huic expositioni etiam sequentes uersi

culi